

fol. 188v

251, 22—34

valeret, equum regis lancea perforavit. Tunc rex et equus pariter corruerunt et rex in terra jacuit prostratus. Omni solacio destitutus clipeum suum super se posuit, ne subito sub pedibus equorum turpiter moreretur. Post transitum caballorum [quidam]^{v)} volens eum a mortis periculo liberare de terra prout potuit eum elevavit. Tunc rex dixit: Equus^{w)} michi velociter preparetur. Quod ut factum est, protinus ascendit et suorum auxilium fortiter invocavit. Venerunt autem ad eum de suis circiter quinquaginta. Cum his^{x)} igitur rex a latere Bohemie regis | exercitum fortiter et viriliter agreditur atque in duas partes divisit et posteriorem partem inpugnavit. Anterior autem pars regis Bohemie clamavit^{y)} „fugiunt“ ita^{z)} exercitum regis Rûdolphi decipere cupientes. Sed quanto plus illi clamoribus instabant tanto^{a)} plus adversarii (hoc est regis Rûdolphi) pars eos percussionibus infestabat. Rûdolphus autem rex posteriorem partem, Bohemie regis exercitum, fortiter inpugnabat. Ac illi timore perterriti fugierunt. Illis autem terga vertentibus Ungarii^{b)} subsequuntur pugnantes inpugnant, fugientes persequuntur, capiunt, trucidant et occidunt. Communiter enim dicebatur, quod in illo prelio hominum quatuordecim milia perierunt. Rex Rûdolphus cum suis in loco prelii permanebat, donec omnes eum securum de victoria referebant. Rex Bohemie eodem die moritur et intestinis eius expositis corpus reliquum cum sale, balsamo et aliis speciebus aromaticis in fratrum minorum monasterium collocatur. Mortuus enim fuit in excumunicacione; propter hoc non poterat in cimiterio sepeliri. Fuerunt in exercitu regis Romanorum debiles homines, ad prelium non apti, clerici, monachi, diversorum religionum conversi, qui se quodam colliculo receperunt orantes et finem certaminis expectantes ac dominum pro suis hominibus devote deprecantes. Hii consideraverunt et viderunt, quod in exercitu regis Bohemorum splendor et calor maximus extitit armorum, sed exercitum regis Romanorum, quocumque declinabat, semper ipsum nubes frigida protegebat^{c)}. Ex hoc autem firmiter credebant vel presumebant, quod exercitus eorum adiutorio domini debuit prevalere. Factum est prelium istud prope civitatem Viennensem in campo, qui

v) Subjekt fehlt. Konjektur nach dem Text in S und C

w) Hs. equum

x) Korrekturzusatz

y) Hs. clamando. C hat clamaverunt, S clamavit

z) Hs. davor et

a) Hs. tanta

b) Hs. Ungar

c) Hs. protegebant